

In tribus hisce formulis, quæ notantur literis A. B. C. lapides exprimunt, quos Glossopetras appellamus, alij Lamiarum dentes, Cardanus Glottides, Germani Naterzünghin: id est, Natricū linguas. Glossopetra nigricans, inquit Agricola, Germanis Natricū lingua dicitur: cui similis non est, sed magis linguæ Pici. Reperitur in terra aluminosa. Sic ille. apud nos non nigro, sed albicante in roseo ferè colore & splendido reperiuntur, saxis interdum inclusi. Veneno præsentē sudare in mensa creduntur: sed facilè ad vaporem alij quoq; læues & præduri lapides sudant. Differunt colore, magnitudine, figura. Alij dentatis aut serratis marginibus sunt, alij læuibus. De eo qui in A. formula exprimitur, plura leges in Volumine Aquatiliū nostro, vbi de Cane carcharia & Lamia agimus, pag. 210. In formula C. ad numerum primum expressus lapis, similis est cæteris, substantia, duritie & splendore